fogete reprimeret, scholamq; illustrem tueretur. Tibi has partes obtigisse ex animo gratulor et precor Deum ut suâ gratiâ et benedictione tuis studijs et laboribus adsit. Meum quidem breui erit de statione decedere, viribus etate nunc deficientibus, etiam alij pauci, qui superstunt, παρεδρεται, ὀρθοδοξοι mecum paulò post migrabunt, quos nouit etate graues. Vos igitur, quos Deus viribus mentis et corporis integros ad gubernandas Ecclesias euehit, vices nostras fideliter suscipite, prestate deposituum seruate, κακοδοξιαν fugite. Tu cumprimis memor, cui viro successeris, da specimen, et quam ille labem sua κακοδοξια scholæ aspersit, tu tua ὀρθοδοξια sedulò abstergas. Pulchrum visum fuit misero homini digito monstrari et dicier: Hic est ille Vorstius, qui Regem M. Britannia et potentissimos Ord. in certamen committere potuit. Sed vereor, tristis ne sit tanti exitus augur. Placet tuus Christianismus, quem precurri. Officia et studia mea tibi parata offero. Salutato ex me D. Rectore vestrum, quem non ita pridem me humaniter salutare recordor. Heidelbergæ 22. Junij ibi2.

132.

Illustri et Magnifico Domino, D. Carolo à Zerotin Domino in Korytz, Drevohostitz et Tarczowitz, Prerouiæ, indytæ Marchionatus Moraviæ Capitaneo, Regiæ in Ungaria et Bohemia Majestatis Consiliario et Subiculario, Domino Clementissimo.

Cùm duo sint, Illustris et Magnifice Domine, quæ Reipub. beatam florentemq; efficiant atq; conservent, sapientum gubernatio et civium virtus, utrumq; Moraviæ vestræ hoc tempore contigisse intelligo, meritòq; inde feliciter judico. Post varias enim tempestates quibus aliquandiu jactata fuit, nunc demum gubernante Rege moderatissimo et prudentissimo Matthia II.

Tegs Sno-Marchione et Capitaneo vices regias sapientissimè administrante, pax aurea effloruit, pietas fidei Ecclesiarum aurora instar exituit, ut Evangelica doctrina intrepidè currat, cives, quibus melior status sententia vigenti, sinè metu Deo et Christo Servatori suo cum sanctitate et justitiâ serviant. De tam egregia patria vestra bonis cum venerandus senex, vir spectatissimus Johannes Hyrconius, qui Tua Magnificentia est à Secretis prolixè nuper mecum conferret, non potui non variis de causis plurimum gaudere, Tuæ Magnificentiæ toto pectore gratulari, et mea, si qua sunt, studia officiaq; humiliter deferre. Vbi quidem Dominus Deus ex minimis servis unum esse voluit, qui pro orthodoxa fide tuenda propagandaq; privatim et publicè laborant, pro qua statione divinæ clementiæ gratias indefinenter ago proq; ut me porrò, siquidem ætati meæ post 64 annum aliquis addere voluerit: / salutare vas gratiæ et gloriæ suæ facere dignetur. Te verò, Illustris Domine, prout virtus Tua et pietas eximia meretur, locavit cum Principibus populi sui, nec non primarium Ecclesiarum Orthodoxarum Moravia hoc ævi statem alq; nutritium constituit, quâ gloriâ nulla nulla Tibi in his terris major et salutarior contingere poterat, ut jure meritoq; ego cum bonis omnibus pro dignitate et incolumitate Tua vota precesq; ad Deum assiduas fundam, meumq; apud Te nomen aliquo censu esse cupiam, quanquam non in nullo hactenus fuisse mihi persuadeam, aliquoq; futurum deinceps vel hoc nomine confidam, quod Generosus adolescens Johannes Theodoricus Zerotinus agnatus tuus, quem huc misisti, unà cum Illustrissimo Principe Palatino juniore, dehinc communi utetur studiorum ac morum informator filio illo meo M. Johannes Georgius, quem ante annos 24. frater tuus Illustris Dominus

Johannes

Johannes Dionysius à Zerotin tuus domesticus meus Christiano ritu ex sacro fonte susceptus, pro quo pietatis officio eidem immortales gratias debeo et ago, quem proinde. abs Tua Magnificentia officiosissimis meis verbis salutari velim. Dominus Jesus vos amborum tanquam singularia Reipublicæ et Ecclesiæ lumina, vestra columina gratiâ suâ benignè semper respiciat, diuque florentes conservet. Heidelbergæ 18 Aprilis 1612.

133.

D. Abrahamo Scultetо

D. Lansius

Salutem à Domino Jesu. Reverende frater, percurri quantum in illa κακοσχεδία potui, pagellas, quas misisti de quæstione. An Ecclesiastica authoritas primariò resideat in Magistratu Christiano: an verò in Ecclesia. Credo me satis perspicuè mentem meam, quam petis, de hac quæstione, sed minus ambiguè formata explicasse Comm: ad Rom. cap. 13. dub. 5. et præfatione in Prophetam Oseam ad D. Landgravium. Nihil video, quòd me moveat. Definienda est Ecclesiastica authoritas. Distinxi in externam et internam ex Eusebio. Illa Christiani Magistratus est: ista Pastorum Ecclesiæ, nisi vel hi seipsos vocare velint. vel ille concionari, sacramenta administrare etc. Etiam distinguenda est Ecclesia ὁμωνύμως. Si Ecclesia intelligatur Ecclesiastica Hierarchia, regnum Pontificis Romani, omnia falsa sunt, quæ de Ecclesiæ jure asseruntur: si quævis Ecclesia particularis, malè opponitur Magistratui Christiano, cui subesse debet jure divino, salvis cujusque loci positivis, legibus vel consuetudinibus. Hæc breviter nunc respondeo, quia pluribus non vacat. Remitto tibi paginas, si ad D. Comitem N. à quo audio quæstionem hanc missam, tibi est scribendum, de ea non veto, quin hæc mea sententia etiam perscribatur. Benè vale 3. Martij 1612.